



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXXI. De Parocho suum Parochianum declarante pro
excommunicato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS XXXI.

De Officio Judicis Ordinarii.

DECISIO XXXI.

De Parocho suum Parochianum habente & declarante pro excommunicato.

SPECIES FACTI.

Leander pinguem in vicina dice-
cesi parochiam obtinens cum
quodam suo parochiano, quem ve-
lut agricolam vocamus *Georgium*, in
litem incidit, eò quòd plaustra & cur-
rus egerit Leander super fundum
Georgii, quod iste pati renuens au-
xilium Sæcularis Judicis imploravit:
qui precibus Georgii deferens Lean-
dri colonum, cùm deprehenderetur
fortè per memoratum fundum itera-
tò plaustrum agere, invadi jussit, e-
quis titulò pignorationis abductis.
Leander, postquam rescivit hoc fa-
ctum, & Judicem & Georgium pro
excommunicatis ob læsam immunita-
tem Ecclesiasticam proclamavit, Ge-
orgiumque simul ob hanc, & ob ali-
am causam, in publica S. Commu-
nionis distributione semel iterumque
præterit. Quapropter is Leandrum
detulit ad Ordinarium, seu ad Vica-
rium Generalem, qui præcepit Lean-
dro, ut ab hac publica Georgii diffam-
atione deinceps abstineret, eique,

sicut aliis, S. Communionem imper-
tiret, sed irritò effectu, Leandro con-
stanter sese opponente, & id sibi vi-
cicum esse causato, eò quòd non li-
ceat Sanctum dare canibus. Quo-
propter, cùm his jussis non pareret,
parochiâ suâ amotus est. Sed Le-
ander recurrit Romam, & sententi-
am pro se latâ restitutus est Parochia, sed
ceptis pertinaciter inhærens Georgio,
qui ipsius postulatis interea nondum
satisfecerat, iteratò Sacram Synaxim
publicè negavit. Atque hinc ad que-
relam Georgii ab Ordinario tanquam
contumax ab officio & Beneficio sus-
sensus est Leander. Jam omnis
quæstionibus de excommunicatione
& beneficii privatione, an illa incur-
sa, & hæc validè inflicta sit, nec ne,
appositè ad præsentem titulum (abstra-
hendo tamen, an noster Leander re
ipsa, ut spargebatur, pro excommu-
nicato habuerit vel declarare voluerit
Georgium) solum in examen adducitur

Q. U. Æ.

Q U Æ S T I O.

An in potestate Parochi sit excommunicare, vel saltem pro excommunicato declarare, parochianum suum?

Ad purgandum hujusmodi factum sic fore quis posset arguere. I. De iure in potestate Ordinarii est excommunicare suum subditum. per c. 7. h. t. in 6. & Trid. s. 24. c. 20. de r. s. sed Parochus venit nomine Ordinarii, quia obtinet jurisdictionem ordinariam, non merè delegatam, in suis parochianos: ergo. II. Judex discretus, prout ipsi visum fuerit, poenas censurarum infligere potest iis, quos iudicandi potestatem habet. c. 27. de v. s. sed Parochus suos parochianos iudicandi potestatem habet, eorumque peccata cognoscendi, ut pote Judex à Christo constitutus ad legandum & solvendum: ergo. III. Parochus de peccatis parochianorum, sibi secretò confessis, tam in sacro tribunali, quàm extra illud, cognoscere: ergo & ipsos iudicare valet, repellendo à Sacra Communionem &c. per can. iudicantem caus. 30. q. 5. can. 1. oportet d. 6. de Pœnit. præcipuè cum Judex debeat juxta propriam conscientiam ferre sententiam. IV. Si Parochus non posset punire delicta secretò sibi cognita, vel occulta, sibi tamen nota, sequeretur, nec Ecclesiam per suas leges vindicare posse delicta fidelium occulta quidem, sed in actum externum prodentia: atqui hoc est falsum. per c. excommunicamus 13. de Heret. c. tua 3. de Apostatis: ergo. V. Parochus

potest excommunicare auctorem damni, quod alteri intulit, licet sibi confessum. c. 2. h. t. ergo. VI. In c. 3. eod. Alexander III. jubet observari excommunicationis sententiam à Plebano rationabiliter inflictam parochianis suis: sed nomine Plebani intelligitur Parochus: ergo. VII. Excommunicati per se & ex dispositione Juris non possunt communicare cum fidelibus, præsertim in Sacris, ita ut fideles cum ipsis, licet aliàs tolerati sint, licet illis negent communionem, ut est certi Juris: ergo Leander rectè fecit negando Sacram Communionem Georgio, si illum credit esse excommunicatum ob violatam immunitatem Ecclesiasticam. VIII. Saltem non excedit potestatem Parochi, quem scit excommunicatum esse, ut talem declarare, eique Sacramenta negare ante præstitam satisfactionem: ergo. IX. In c. 32. de sentent. Excom. prohibetur Excommunicatis omnibus Sacramentorum usus: ergo & Communio Sacra. X. Illicitum est dare Sanctum canibus Jure Divino & Naturali: ergo Leander, si scivit, Georgium esse indignum tum propter pertinaciam in obsequendo jussis Parochi, tum propter excommunicationem, debuit negare eidem S. Communionem, non obstante, quòd jufferit Vicarius Generalis, vel etiam ipse Episcopus

pus iussisset, ut Georgio porrigeret Corpus Christi.

Sed ad assensum permovere hæc adeò apta non sunt, ut potius pro certo habendum, Parochum potestate destitutum esse parochianos excommunicandi, vel pro excommunicatis eos declarandi pro foro externo, consequenter Leandrum, si id fecit, perperam egisse, dum Georgium velut excommunicatum declaravit, & ut indignum Sacra Communione publicè præteriiit. Ratio fundamentalis est, quòd excommunicare, & pro excommunicato pro foro externo declarare, sit actus jurisdictionis fori externi, requirens præviam cognitionem Judicialem: atqui Parochis de Jure non est concessa jurisdictio pro foro externo, sed solum pro interno, & potestas in ordine ad Sacramenta administranda, ad prædicandum Verbum Divinum &c. ut est constans & communis Doctorum sententia, ex *can. 38. caus. 11. q. 1. c. Archidiaconis de offic. Archidiacon. c. quærenti de V. S. c. 1. de sent. Excom. in 6. § Clement. Dudum de Sepulturis* &c. desumpta. Conspirat communis cum Suar. *de Censur. d. 2. sect. 2. n. 10.*

Argumenta contraria numero quidem multa, at robore cassà sunt, nullòque negotio dissolvuntur. Ad I. *dist. Ma.* est in potestate Ordinarii, jurisdictionem pro foro externo obtinentis. *C. Ma.* cujuscunque ordinariam jurisdictionem, in foro tantum interno obtinentis, qualis est Parochus, *N. Ma.* Ad II. Parochus solum pro fo-

ro interno, in ordine ad absolvendum à peccatis, est Judex suorum parochianorum, à Christo & Ecclesia constitutus. Ad III. Parochus utique non tribuet sibi potestatem utendi notitià eorum, quæ ex confessione Sacramentali intellexerit, pro foro externo; cum talis usus foret contra omnia Jura, Naturale, Divinum, & Humanum, ac pro omnibus circumstantiis, nisi pœnitens expressè dederit licentiam, severissimè prohibita, licèt salus totius Reipublicæ, aut Ecclesiæ verteretur; quod utique non ignoravit Leander noster, neque talis notitià usus est. Si tamen extra confessionem occultè, at tamen certo, novisset Georgii indignitatem & statum peccati gravis, quod tamen verum non est, nec ab ipso probari potest, secretò & occultè (non publicè, cum petentis diffamatione) foris à Sacra Communione illum arcere potuisset, per *can. placuit caus. 6. q. 2.* Id concedo, quòd, si notorium fuisset, Georgium esse indignum, vel excommunicatum, eum Leander merito præteriiisset in distributione Sacramentis: at neque notorietate facti, neque notorietate Juris (cum à Judice fori externi non fuerit ut talis declaratus) id fuit notorium. Ad IV. *N. sequelam Ma.* Accedit, quòd neque Ecclesia per suas leges vindicet delicta occulta certarum & particularium personarum in individuo ac specificè, sed in genere ac indistinctè tantum pœnas infligit illis, qui certa delicta, licèt occulta, in a-

Atque tamen externum prodeuntia, designare non verentur, quicumque fuerint. Ad V. textus in d. c. 2. sic habet: *si Sacerdos sciat pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit, non debet eum arguere nominatim, sed indeterminatè - - si verò ille, cui delictum illatum est, petierit justitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet ei confessus sit, sed tamen non potest nominatim eum removere à communione, licet sciat, eum esse reum, quia non ut Judex scit, sed ut DEUS.* Ergo Sacerdos, qui secretò, vel ex confessione, alterius peccatum etiam certissimè novit, tamen illum nominatim excommunicare, redarguere, & à S. Communionem removere non potest, licet occultè monere eidem liceat, vel generatim excommunicare reum; *excommunicare*, inquam, si nimirum sit talis Sacerdos, qui de Jure vel prescriptione præditus est jurisdictione fori externi, uti est Episcopus, vel alius Sacerdos, qui id privilegio vel prescriptione obtinuit, de cujusmodi Sacerdote exaudiendum est *cit. c.* quia addit, *petierit Justitiam*, quæ verba innuunt tribunal erectum. Ad VI. Ille Plebanus vel fuit aliquis Prælati Ecclesiasticus, vel saltem ex privilegio aut prescriptione obtinens jurisdictionem pro foro externo, non simplex Parochus, cum textus incipiat sic: *cum ab Ecclesiarum Prælati Ecclesiastica sententia (excommunicationis vel interdicti) in malefactores aliquos promulgatur, rata debet & firma*

consistere &c. quæ verba indicant jurisdictionem in promulgante. Gonzal. ad h. t. c. 3. n. 2. Ad VII. *N. Conf. & suppositum*, quòd Leander noverit, Georgium esse excommunicatum; quia nec ratione facti id ipsi certum esse potuit, nec à legitimo Superiore fuit declaratus ut talis prævia cognitione causæ. Ad VIII. Pariter *N. Mm.* imò & *Ma.* quia ad talem declarationem pro foro externo opus est cognitione Judiciali, consequenter & requiritur jurisdictio pro foro externo. Ad IX. *dist. ant.* prohibetur usus Sacramentorum excommunicatis, si constet publicè de eorum excommunicatione. *C. Ant.* si non constet. *N. Ant. & Conf.* Leandro non potuit constare de excommunicatione Georgii. Ad X. *N. Conf.* Leandro nec de excommunicatione Georgii, nec de alio delicto gravi, quo adstringebatur Georgius, constitit legitime aut Juridicè, nec in Leandri potestate fuit declarare, vel sententiam ferre pro foro externo, præsertim contra enixam voluntatem sui Vicarii Generalis, cui hac in re omnino se submittere debuisset.

Sed is nondum acquiescit. Utique, ait, ad Parochum spectat prohibere, & coercere illicita in suis Parochianis. *can. adjicimus §. cave. can. generaliter in fine caus. 16. q. 1. can. ult. de pœnit. d. 6. & c. 2. de Parochiis:* sed illi, cui competit potestas spiritualis prohibendi & coercendi illicita, debet etiam competere coercitio, quæ fit per censuras, & excommunicationes, alias ejus potestas redderetur illusoria: ergo.

go. Et hinc potestatem excommunicandi parochianos proprios tribuunt Parocho Jo. Andr. & Hostiens. in c. 2. b. t. Item Filescus in can. miramur caus. 24. q. 1. At v. Illa Jura imprimis hoc non dicunt, dein, etsi dicerent, plus inde non evinceretur, quam quòd Parochus in foro interno, pro

quo solo habet jurisdictionem, possit coërcere suos parochianos in penitentiâ, & pro concione, vel in privatis congressibus dehortari ab illicitis, & pœnas à Deo vel à Magistratu infligendas minitari. Illi pauci Auctores à torrente aliorum omnino absorbentur.



TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

DECISIO XXXII.

De Judice ad instantiam Partis non audiente testem, quem illa volebat producere.

Leoninus sponsalia de futuro contraxerat cum Cordula sub juramento adjecto, additâ tamen post temporis intervallum ex mutuo consensu eâ lege, ut, si alterutra pars sine alterius consensu accederet conventum, ubi utriusque sexûs homines hilaritatis causâ associantur, vulgò zur Gesellschaft / maximè ubi choreæ ducuntur, eo ipso resilire à sponsalibus liceret innocenti, sublata obligatione. Diu utraque pars se continuit ab hujusmodi periculosis associationibus & choreis, at Cordula, hilarioris genii, tandem hujus solitudinis pertata adiit hortum suburbanum invitata, ibique cum Ju-

venum nobili cohorte per totam noctem commorata liberaliter indulgentio inter saltus & choreas, intra limites tamen, ut ajebat, omnis modestiæ. Id rescians Leoninus contra factum Cordula conquestus eidem nuntium remisit, additis litteris, se porro, cum promissis illa non steterit, obligatum non esse suis, proindeque liberum modò licitumque sibi esse cum alia inire Matrimonium juxta mutuum conventionem. Cordula hoc nuntio non leviter offensa non tantum unum ex sociis nocturni conventûs graviter concitavit in Leoninum, sed insuper etiam rem detulit ad Consistorium, ibique negavit & pernegavit, pra-